Die digitale Landesbibliothek Oberösterreich

oö landes bibliothek

Terms and Conditions

The Library provides access to digitized documents strictly for noncommercial educational, research and private purposes and makes no warranty with regard to their use for other purposes. Some of our collections are protected by copyright. Publication and/or broadcast in any form (including electronic) requires prior written permission from the Library.

Each copy of any part of this document must contain there Terms and Conditions. With the usage of the library's online system to access or download a digitized document you accept there Terms and Conditions.

Reproductions of material on the web site may not be made for or donated to other repositories, nor may be further reproduced without written permission from the Library

For reproduction requests and permissions, please contact us. If citing materials, please give proper attribution of the source.

Imprint:
Director: Mag. Renate Plöchl
Deputy director: Mag. Julian Sagmeister
Owner of medium: Oberösterreichische Landesbibliothek
Publisher: Oberösterreichische Landesbibliothek, 4021 Linz, Schillerplatz 2

Contact:
Email: landesbibliothek(at)ooe.gv.at
Telephone: +43(732) 7720-53100

Et non est preter eum alius creator et dominator omnium. et misit ad asclam. Quam cum sanctus martyr legisset; orauit et descendit de naui ad ciuitatem. Eadem hora ingressus uidere iussit asclam ad tribunal adduci. et dixit ei. Omnem uirtutem magice artis tue quam deus odit expendisti. ut me retineres in medio fluminis et ego quod possum exercebam in te. Et confestim fecit exhiberi lampades ardentes. et applicari lateribus illius et uentris donec carnes eius liquescerent. Ipse uero fortissimus miles christi nimium incendium ferens tacebat. Tacenti itaque sancto. impius arrianus dixit. Vt uideo mori uis. Et sanctus respondit. Et si morior uitam uiuam. Arrianus officio suo dixit. Labores tantummodo expendimus in isto. Statim quinto expirato probauimus. iste pro fide sua mori paratus. nequaquam acquiescit sacrificare et uiuere. Dum tamen nos adhuc agamus quod possumus. Et statim iussit ei ligari in pedibus lapidem et precipitari in flumine uiuentem. Milites autem tollentes eum abduxerunt. Et ligantes lapidem grandem in pedibus eius tradebant propter uicinum qui ad hoc ipsum conuenerat. uidere beatum martyrem coronari. Qui et exhibuerunt ei cibos ut perciperet. sed ille renuit dicens. Cessate rogare. Ego enim nec manducabo quicquam de hoc mundo nec bibam ab hac hora. sed paratus sum ire et percipere. quod nec oculus uidit nec auris audiuit. nec in cor hominis ascendit. Sed et uos precor omnes qui auditis. elaborate ut comprehendatis bona que preparata sunt sanctis. Hec cum allocutus fuisset. imposuerunt eum in naui pusilla. Conuersus autem dixit his qui aderant christianis. Filioli mei non negligatis sepulturam meam. Et quidem hodie et crastino dimittite. perendie si dominus uoluerit uenite ad aquilonem ciuitatis et inuenietis corpus meum cum lapide quo mihi ligatus est. sepelite cum ipso in sepulchro. Et factum est ita. Statim proiectus in flumine delatus est deo uolente ad ripam. Et die tercio uenientes de ciuitate fratres inuenerunt corpus eius cum lapide quo proiectus erat ad terram. Et sepelierunt eum cum ipso in pace. die mensis ianuarii uicesima et tercia nam corona eius dies fuit mensis supradicti xx^ma^ et prima. in christo ihesu domino nostro qui regnat cum patre et spiritu sancto in secula seculorum. Amen.

De sancto Babila. iiii

Si quis studiosius gloriosa martyrum gesta perquirat semper aliquid quod plus miretur inueniet. Babilas nobis prestat exemplum. cuius pugnat fides. non tantum cuicumque iudici restitit sed rabiem ipsius imperatoris extinxit. ostendens singularem contempnendam esse personam cum de diuinitate contentio est. Statim cum numerianus imperator nouo sacrificii bustu redundans. nec dum inluuie sordidi nidoris ablutus facto impetu ingredi pararet ecclesiam ut locum illum ueneratione dignissimum profana uiolatione calcaret. babilas episcopus illius ciuitatis et temporis conuocatis omnibus christianis. ubi hoc primum comperit. quid agi deberet ostendit. hac omnis ratione confirmans. Nullus ex uobis o dulcissimi filii formi-